

agnoscebant eos quod cum Iesu fuissent: hominem autem videntes stantem cum eis qui sanatus fuerat, nihil poterant contradicere, Act. 4. b. 13. Ecce aduersarii Christi, docti, sapientes ac potentes obstupescunt & confunduntur, nec inueniunt quod contradicant. C. Porro quia non elegit indoctos & rudes ut semper tales relinqueret, in exemplum minime trahere conuenit quod ab eo factum est: quasi hodie quoque ordinandi sint pastores qui postea formandi sint ad exequendum munus suum. Scimus enim quam regulam nobis per os Pauli praescribit, ne qui scilicet vocentur nisi ad docendum idonei. 1. Tim. 3. a. 3. & Tit. 1. c. 9. Nec vero tales ideo elegit quasi inscitiam eruditioni praefereat: quemadmodum phrenetici quidam sibi in sua ignorantia applaudunt, seque Apostolis putant eo propiores quo magis a literis abhorrent. Voluit initio quidem contemptibiles eligere, ut eorum supercilium deiiceret qui calum indoctis patere non putant: sed deinde piscatoribus adiunxit Paulum collegam, qui a pueritia sedulo institutus fuerat, Act. 22. a. 3.

19. Et dicit illis, Sequimini me, & faciam vos piscatores hominum.

ET DICIT ILLIS. B Ad verbum, Venite post me. Idiotissimus est Hebraicus pro eo quod alibi dicitur, Sequere me, Infra 9. a. 9. Et post Dominum ambulabunt, Ofex II. c. 10. Item, Patrem vocabis me, & post me non desictes. Jerem. 3. f. 19. ET FACIAM VOS. M Non vocantur ut mox praedicent, sed ut cum Domino circumeuntes, omnium ipsius dictorum & factorum spectatores sint & auditores. Erant enim, utpote diuinarum rerum rudes, primum instituendi & fingendi. C. Tametsi autem de ratione metaphora subtilius disputare nihil attinet, quia ex re praesenti sumpta fuit, apte tamen alludit Christus ad piscationem quum de Euangelii praedicatione ageret: quia homines vagi & palantes in mundo tanquam in vasto & confuso mari, per Euangelium colliguntur. Ceterum historia quae Iohannis cap. I. f. 40. refertur, ab hac diuersa est. Nam quum Andreas vnus fuisset ex discipulis Iohannis ab illo Christo traditus, fratrem deinde secum adduxit: ac tunc quidem amplexi sunt ut magistrum: sed deinde in altiore gradum recepti sunt.

20. At illi, relictis illico retibus, sequuti sunt eum.

AT ILLI, RELICTIS. C Primum hic apparet energia vocis Christi: non quod sola vox tam efficaciter penetrat in hominum corda, sed quia Dominus quos ad se trahere vult & rapere, Spiritu intus compellat ut voci suae obediant. M Alloquitur nos Christus per ministros verbi sui: quod prodesse non potest nisi ipse tangat corda nostra. C Secundo laudatur docilitas & obsequii promptitudo in discipulis, qui vocationem Christi omnibus mundi negotiis praeferrunt. Praesertim Verbi ministros ad hoc exemplum attendere decet, ut posthabitis omnibus aliis curis se totos Ecclesiae, cui destinati sunt, addicant ac deuouent.

21. Et progressus illinc, vidit alios duos fratres, Iacobum filium Zebedaei, & Iohannem fratrem eius in nauiculis Zebedaei patre suo, sarcinantes retia sua: & vocauit eos.

ET PROGRESSVS. A Annectit Matthaeus filiorum Zebedaei vocationem: in qua eadem obseruanda veniunt quae in Simonis & Andreae vocatione obseruata sunt. Erant enim omnes eiusdem artis.

22. Illi autem protinus relicta naui & patre suo, sequuti sunt eum.

ILLI AUTEM PROT. M Cur haec omnia? ratio est in promptu videlicet ut Christum sequerentur, & ab illo ad piscaturam hominum instituerentur. Neque enim commodum, imo impossibile erat simul administrare rem domesticam, & Christum circumeuntem ac docentem, indiuisse sequi. Nihil ergo loci hic habent qui praetextu monachatus, & religionis, Apostolorum exemplo omnia sua reliquisse videri volunt. Respondeant primum cuius iussu sua reliquerint: deinde ad quid etiam reliquerint: ut videlicet suauis de alieno, & sibi ipsis otiosi viuant.

23. Et circumibat totam Galilaeam Iesus, docens in synagogis illorum, ac praedicans Euangelium regni & sanans omnem morbum & omnem languorem in populo.

ET CIRCUMIBAT. C Eadem rursus ab hoc Euangelista referentur infra 9. d. 35. sed minime absurdum est, quum innumera prope miracula assidue edere Christus aliquanto tempore non cessarit, bis aut ter eorum fieri mentionem in genere. TOTAM GALILAEAM. B Vide ut magna & saluifica luce regio haec quae humilis olim erat & tenebris ac umbra mortis oppressa, persuadebatur, & nunc vere gloriosa reddebatur: de quo supra versu 16. DOCENS IN SYNA. M Synagoga Graece, Latine conuentus & concio populi est: quo nomine etiam loci conuentus ecclesiasticorum vocati sunt. In his docuit Christus, ne videretur declinare publicum, velut mala sibi doctrinae conscius: deinde ne putaretur conueniendi consuetudinem damnare, quam populus ille ad institutionem pietatis & lectionem Legis diuinitus acceperat. Nam scribitur, Moyses a temporibus antiquis habet in singulis ciuitatibus qui cum praedicent in synagogis, vbi per omne sabbatum legitur. Act. 15. d. 21. Itaque notandum hic est, Christum nusquam quicuisse ut Euangelii semen vbique spargeret. B Hoc demum officium erat Christi vicariorum, ita circumire, & salutis doctrina ad vitam reuocare peccatores, si malissent Christum re quam nomine atque dignitate referre. Sed quid

praedicabat Christus? EVAN. REGNI. C Notandum est hoc Euangelii epitheton quo etiam ornatur a Marco cap. 1. b. 14. Nam hinc discimus, eius praedicatione regnum Dei erigi in terra & consistui, nec alio modo regnare Deum inter homines, in ipsorum salutem. Vnde etiam apparet quam misera sit absque Euangelio hominum conditio. Solidam ergo & aeternam beatitudinem a prosperis ac laetis praesentis vitae rebus discernit Matthaeus. C Praedicatur autem Euangelium regni quum admonemur nostrae miseriae, & offertur nobis Christus qui liberet nos a regno Satanae, & sanctificet nos in obedientiam Dei. ET SANANS OMNEM. C Quod Matthaeus Christum sanasse omnes morbos dicit, intellige cuiuscunque essent generis. Certum est enim non omnes fuisse liberatos a suis morbis: sed nullum fuit morborum genus quod sui oblatum non sanaret.

24. Et manauit fama illius in totam Syriam: & adducebant ad illum omnes male affectos, variis morbis ac tormentibus constrictos, & daemniacos, & lunaticos, & paralyticos: sanabatque illos.

ET MANAVIT FAMA ILLIUS. M Hoc videlicet agebatur iam tum ut non in Iudaea duntaxat & Galilaea inclaresceret nomen Christi sed etiam apud Gentes. Tametsi enim vocandarum Gentium tempus nondum aduenisset, interea tamen gratiae illi via parabat. Et reuera magna fuerit oportet Iudaeorum caecitas, quod Saluatorem ad se missum, tanta diuinae gratiae luce conspicuum ut fama illius totam etiam Syriam, nationem gentilem occuparit, tum pertinaciter respuerunt. C Pro fama, ad verbum habetur, Abiit auditus, more Hebraico. ET ADDUXERVNT. M Argumentum erat famae quae de factis Christi in Syriam dimanauerat, quod aegrotos Syri ad illum deferebant. Duo itaque faciebat Christus: praedicabat Euangelium regni, sanabat aegrotos ac morbos. Priori beneficio non admodum mouebantur plerique: posteriori vero quamplurimi. Hi adferebant aegrotos suos, curatio nem illorum quarentes, de doctrina vero vitae nulla fit mentio quod hanc quaesierint. A quum tamen esset vera animi medicina, in quo peruersam hominum naturam spectare licet. M Nam qui corpore aegrotus est, absque rubore morbum suum medico reuelat: qui autem animo aegrotat, vitia sua studiose celat, & nonnunquam etiam virtutis specie palliat. Si facile irascitur, zeli nomen obtendit: si peccatores fastidit, amorem iustitiae praetexit: si timidus est, cautionem simulat: si paulo tenacior, curam domesticorum causatur: si pertinax, constans videri cupit. Ita videlicet fere omnes animi morbos palliamus, tantum abest ut remedia quaeramus. VARIIS MORBIS. B A morbis separauit tormina quorum violentia corpus omne contrahitur. ET DAEMONIACOS ET LUN. C Enumerat praecipuas morborum species in quibus suam potentiam exeruit Christus. Daemniacos Scriptura vocat non omnes promiscue qui a diabolo vexantur, sed qui arcana Dei vindicta Satanae mancipati sunt, ut eorum mentes & sensus possideat. Lunatici vocantur in quibus auersa vis morbi vel decreuit pro luna inclinatione quales sunt qui comitiali morbo laborant & similes. Quum sciamus eiusmodi morbos naturalibus remediis non esse curabiles, sequitur restatam fuisse diuinitatem Christi quum eos mirabiliter sanauit.

25. Et sequuta sunt eum turbae multae a Galilaea & Decapoli, & Ierosolymis, & Iudaea, & regionetians Iordanem sita.

ET SEQUUTA SVNT. A Christus magis ac magis mundo innotescebat. ET REGIONE TRANS IOR. Ad verbum, Et trans Iordanem. Reperiuntur huiusmodi sic posita ut motum a loco significent: ut, Salutem publicam trans mare petendam. Periphrasi vsus est interpres.

#### CAPVT QVINTVM.

QVVM vidisset autem Iesus turbas, ascendit in montem: & quum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius.

QVVM VIDISSET AVTEM IESVS. C Haec concio Christi diuersa non est ab ea quae habetur Luc. 6. c. 10. Qui aliter sentiunt, praepostere Lucae verba vno contextu legunt. quod descenderit Christus in locum campestem: & quod oculos attollens in discipulos, sic loquutus fuerit. Vtrique enim Euangelistae propositum fuit, semel vnum in locum praecipua quaeque capita doctrinae Christi colligere, quae ad pie sanctaeque viuendi regulam spectabant. Quamquam ergo Lucas prius loci campestris meminerat, non persequitur eandem historiam continua serie: sed a miraculis transit ad doctrinam, neque tempus neque locum designans: sicuti apud Matthaeum nulla est temporis, sed tantum solius loci notatio. Ac verisimile est, non nisi post electos duodecim Christum ita fuisse concionatum: sed in tenendo ordine temporis quem videbamus a Spiritu Dei neglectum noluimus esse nimium curiosi. Sufficere enim piis & modestis lectoribus debet quod hic ante oculos positam habeant breuem summam doctrinae Christi collectam ex pluribus & diuersis eius concionibus, quarum haec prima fuit, vbi de vera beatitudine disseruit apud discipulos. ET QVVM CONSEDISSET. M Consuetudo haec docentibus fuit ut sedendo docerent. Ita Christus alibi quum in synagoga Nazareth Esaiam vaticinium legisset, reddito ministris libro, confedit ac docuit, Luc. 4. c. 20. Et ad milites dicebat in horto, Tanquam ad Latronem egressi estis cum gladiis & fustibus, quum quotidie apud vos sederem, docens in templo. Infra 26. e. 55. Et alibi, Omnis populus veniebat ad eum, & sedens docebat eos, Iohan. 8. a. 2. Consuetudinem hanc imitati sunt Episcopi, quia videbatur maiestatis aliquid praeferre, consue-

Al. cu' Vat. magis ad verbum, Obtulit illi.

Al. Vexationibus. a morbis a corrimo, dolores affertantibus. Vat. int. Tormentis.